

FRANCISCI REDI,
Nobilis Aretini,
EXPERIMENTA

circa varias
RES NATURALES,
speciatim illas

Quæ ex INDIIS afferuntur.

Ut & alia ejusdem OPUSCULA,
quæ paginâ sequenti narrantur.



AMSTELÆDAMI
Apud HENR. WETSTENIUM.

MDCLXXXV.

tas, antiquum splendorem assumere, & pretiosiores fieri docent. Sed transcamus ad alia.

In America meridionali nascuntur aranei, usque adeo enormis magnitudinis, ut nonnulli secundum relationem P. Eusebii Nierenbergii, magnitudinem ovi columbini, alii partem dimidiam mali medici æquent. Alii præterea, in America meridionali, & regionibus Perù, & Chile, maximè verò in Brasilia, & Præfecturis Pernambuci, Tamaracæ, & Paraibæ, venenosissimi, & malo aurantio majores inveniuntur. Pernambucenses, ungues habent duros, fuscos, & ea virtute dotatos, ut auro vel argento ligati, solo tactu, & quasi miraculosè qualemcunque dolorem dentium statim sedent: & Zacutus Lusitanus se id cum felicissimo successu expertum esse indubitanter testatur. Crederem relationi Zacuti, nisi experimenta circa hos ungues facta, id prohiberent, quos D. Antonius Morera in aulam Hetruriæ attulit, & qui nullum mihi unquam hujus miraculosæ
virtu-

virtutis indicium dederunt ; uti nec dentes Rhinocerotis , ut sapientis nomen mereatur Olaus Wormius , qui ingenuè fatetur , se ejus rei experimentum non fecisse. *Ferunt , inquit , dentem hunc , dolenti denti applicatum , dolores sedare , quod tamen nondum expertus sum.*

Mira narrant de sanguine hujus Rhinocerotis , in sedandis doloribus colicis , profluvio sanguinis , & provocandis foeminarum menstuis ; (cum tamen hæ duæ virtutes inter se contrariæ sint) dicunt , pellem hujus animalis , si diutius humectetur , & in aqua percoquatur , ac decoctio ejusdem per tres dies continuos bibatur , securissimam medicinam esse illis , qui hæmorrhoidum dolores patiuntur , & qui ob languorem stomachi , vel qualemcunque aliam ob causam continuo cibi fastidio laborant. Et vulgus , qui decipi sese magnopere gaudet , & omnem suam fiduciam in rebus exoticis , & quæ difficulter obtinentur , collocat , facillimè hæc talia credit : ego verò inducere animum ne-

nequeo, ut id credam; cum non nisi post multa experimenta capta de hac re loquar. Et quid est, quod de cornu hujus ejusdem animalis non prædicetur? ac si cor vitamque hominis defendere ab omni veneno possit; at tamen ego hæctenus ne minimum quidem ejusdem effectum vidi: & specialiter non contra venenum viperinum, & scorpionum Tunetanorum. Nec majorem effectum vidi cornuum Alces contra epilepsiam, utut Olaus Wormius scribat: *Cornua insigni pollent adversus epilepsiam facultate, imprimis, si circa Kalendas Septembris animal capiatur, & mactetur, quia tum maxime vegetum & succulentum, in venerem ferri solet.*

Hæc tamen conditio, quod nimirum utendum sit cornibus hujus animalis occisi, circa principium Septembris, ab omnibus non probatur; sed non desunt, qui non nisi cornua quotannis sponte decidentia prodesse velint: & alii, magis superstitiosi, omnem hanc virtutem contra epilepsiam,

lepſiam, in dextro cornu reſidere, & ſiniſtrum eâdem plane privato eſſe contendunt.

Hanc differentiam, inter dextrum & ſiniſtrum cornu, fundatam eſſe credo in fabula illa, quam Theophrastus, *libro de animalibus, quæ invidia laborare creduntur*, recitat, ubi dicit, cervum, ubi dextrum cornu decedit, illud occulere ſub terra, quod homines miraculoſæ virtutis hujus cornu gaudere nolit.

In *Experimentis meis circa generationes Inſectorum*, nugas eſſe dixi, cervum naturali hac invidia laborare, ut hoc cornu occultet: etenim dextrum ſimul ſiniſtrumque cornu, citra omnem aliam curam fortunæ committens, ibi, ubi unumquodque decedit, relinquit: cujus rei certiffimus ſum, ut qui Sereniſſimum Magnum Ducem in venationibus Piſanis ſecutus, ubi longè maxima cervorum copia eſt, diligenter per multos annos id obſervavi: quæ in re dum verſor, alia etiam particularia, circa cervorum cornua, curioſè obſervavi, quo-